Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8172
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



172

quam nemo principum huius seculi cognouit si
enim cognouissent numquam dominum glorie crucifixissent
Sed sicut scriptum est Quod oculus non vidit nec auris
audiuit nec in cor hominis ascendit quod preparauit
deus his qui diligunt illum Nobis autem reuelauit
deus per spiritum suum spiritus enim omnia scrutatur etiam
dei Quis enim hominum quid sit hominis nisi spiritus
hominis qui in ipso est Ita et quae dei sunt nemo cog-
nouit nisi spiritus dei nos autem non spiritum huius mundi
accepimus sed spiritum qui ex deo est vt sciamus quae a deo
donata sunt nobis quae et loquimur non in doctis humane sapie verbis sed in doctrina spiritus spiritalibus spiritalia comparantes Animalis autem homo
non percipit ea quae sunt spiritus dei stultitia enim illi
est nec potest intelligere quia spiritaliter examinatur Spiritalis
autem iudicat omnia et ipse a nemine iudicatur Quis
enim cognouit sensum domini qui instruat eum nos
autem christi sensum habemus Et ego fratres non
potui vobis loqui quasi spiritalibus tamquam paruulis
in christo lac vobis potum dedi non escam Nondum enim poteratis sed nec nunc quidem potestis
adhuc enim estis carnales Cum
enim sit inter vos zelus et contencio nonne
carnales estis et secundum hominem ambulatis
Cum enim quis dicit Ego quidem sum pauli ego
apollo Quid ergo paulus ministri eius cui
credidistis et vnicuique sicut dominus dedit Ego
plantauit apollo rigauit sed deus incre-
mentum dedit Ita neque qui plantat est aliquid
neque qui rigat sed qui incrementum dat deus
Qui plantat autem et qui rigat vnum sunt vnusquisque
autem propriam mercedem accipiet secundum suum
laborem Dei enim sumus adiutores dei agricultura